ORATIO RICHARDI PACEI IN PACE NVPERIME compoſita et fœdere percuſſo: inter inuictiſſimum Angliæ regem, et Francorum regem chriſtianiſſimum in æde diui Pauli Londini habita.

Pace K

BRITISH MUSEUM

QVVM NON vulgares ſacratiſſime atq; iuictiſſime rex priſcoꝝ temporũ Oratores/ſed doctiſſimum et facundiſſimũ quemq; in publicis contionibus/ſpectante et audiente ſolo populo:aliquando obmutuiſſe memoriæ proditum ſit: mirari (meo quidem iuditio) debet nemo ſi mihi in hoc venerando et maieſtatis pleno conſeſſu: nõ modo timorem: ſed et terrorem quoq; incuſſum eſſe ſentiat:et videat. Preſertim quum doctrina in me/illorum conſummatiſſimis ſcientijs comparata:longe minor ſit q̃ exigua:ingenij vires nullæ:lingua tam rudis inculta et impolita:vt etiam ſi extremus adhibeatur conatus:nõ poſſit tamen vel ad minimam partem eloquentię illorum pertingere. quum pręterea mihi non tam ad populũ(vt illis)q̃ ad te excellentiſſime rex oratio ſit habẽda:qui ſicut inter maximos et potentiſſimos reges excelſus emines:ita cũ doctiſſimis / quibuſq; in litterario certamine ſoles ſępiſſime cum ſumma tua laude & gloria congredi:et id ita feliciter vt palmam tibi eri-

puerit nemo. Ad hoc quis eſt in dicendo tam expertus: cui tãtum innatum eſt audatiæ? Vt eum tanta ſapientiſſimorum et litteratiſſimorum virorum frequentia non terreret. Verum enim vero tua ſacratiſſime rex fretus clementia: et auditorum omnium humanitate: conabor pro viríli mea: aliquid in medium afferre: quod ab hijs: quæ hodierno die hic peracta fuerunt: non vſquequaq; alienum (vt ſpero) videbitur. Maiores igitur noſtri cum in alijs rebus q̃ plurimis: tum precipue in ſanctis fœderibus excogitandis: admirabilem prudentiam pręſtiterunt. Nam ſi res humanas ad vnã omnis diſcuſſerimus: expenderimuſq; : nihil laudabilius: nihil preſtantius: nihil deniq; magis neceſſariũ et vtile quiſpiam inuenerit: fide data et accepta: quæ ſi inuiolabiliter obſeruatur (id quod fœdus ſancte initum et percuſſũ maxime præſtare ſolet) omnem diſſentionem omnem diſcordiã: omne deniq; lachrymabile et exitiale bellum tollit: atq; in illorum locũ: gratum ocium: iucundam tranquillitatem: et (quod maximum eſt) perpetuam pacem ſubſtituit: pacis autem fructus tam amplus eſt et

copioſus: vt nullus vnquam tam diſertus et e-
loquens reptus ſit orator: qui pacis bona dig
nis laudibus proſequi potuerit. vnde illud vul
gatum quidem eſt; ſed prudentiſſime ſcrip-
tum. Diſcordia res magnas dilabi: cõcordia
vero. i. pace paruas creſcere. Si cauſa queritur:
nihil manifeſtius eſſe poteſt. Pax .n. eſt: quæ
cum primis humanos animos/tranquillos et
quietos reddit. trãquillus autẽ et quietus/ani
mus ab omni iiuria inferẽda: ab omni crimine
committendo/ab omni ſcelere perpetrãdo: ab
omni ſtrage/cede/rapina (quæ deteſtabilis
belli miniſteria ſunt) prorſus auocatur: omnẽ
que intentionem ſuam: ad ea quæ recta/iuſta/
ſancta ſunt et honeſta: conuertit. Hinc illud
eſt: quod diuus Paulus religioſiſſime (vt om-
nia) ſcribit. Et ipſe e Saulo turbulento trãquil
lus redditus/et pacis doctor. Quid igitur ipſi
immortali deo gratius/aut acceptius fuerit: q̃
ſi quis ea exerceat bona: quorum pax ſola dux
eſt et autor. Non temere itaq; Iſocrates (non
minus bonus phũs: q̃ facũdus orator) de pa-
ce ad populum Athenenſem orationem habi
turus: dixit ſtatim in initio/ſe de re maxima et

omni humano generi vtiliſſima verba factu-
rum. Cui aſtipulatus Sillius / Ethnicus et ip-
ſe: in hūc ſcribit modum. Pax optima rerum:
quas homini natura dedit. Sed quid Ethni-
cos cito autores: quum Chriſtus ipſe / tantum
cæteris rebus omnibus pacem anteferret: vt
ſuis diceret diſcipulis. Pax vobis. quaſi vnius
pacis ſalutatione omnia bona complectere-
tur. Dauid quoq; Propheta: diſſipa gētes (in-
quit) quæ bella volūt. qua voce quid aliud ſig
nificatur: q̄ omnes eſſe diſſipandos / et male
perdendos: quicumque paci ſunt inimici. Ad
hæc ſi quis Chriſti redemptoris noſtri vniuer
ſam vitam: penitius acriori oculo intueatur: &
accuratius perpendat: nihil aliud eam fuiſſe
comperiet: q̄ cōcordię charitatis / pacisq; do-
ctrinam: cuius rei locupletiſſimum vobis per-
hibuit teſtimoniū / ſacroſanctus vates Eſai-
as. Nam quum diuino afflatus numine Chri
ſtum rerum omnium opificem vēturum prę-
nūciaret / nec ducem rei militaris peritum / nec
ſtrenuum bellatorem: nec denique triumpha
torem aliquē albis equis a parta victoria glo-
rioſe vehendum / nobis pollicitus: ſed princi-

pem pacis: missum ad mundum patri conci-
liandum et mutuum amorem indissolubilem-
que charitatem humanis animis instillandū.
Sed pacis (de qua loquor) vires: ita demum
clarius elucescent: si execrāda belli calamitas
illis ex aduerso statuerimus. Sunt igitur belli
artes. Hæ precipuæ: īmensa habendi per fas:
et nefas auiditas: immanis barbaraque cru-
delitas: humani sanguinis et mutuæ cedis in
extinguibilis sitis: despoliatio paupertatis:
opidorum vrbiumq; subuersio: et omnis (vt
semel dicam) pietatis et religionis pestis (su-
pra q̄ dici potest) præsentanea. et vt bellato-
res hæc omnia facilius assequantur: callidis-
sima commenti sunt stratagemata: et ingenio
in malum nimis prono et acuto: miras fabri-
carunt machinas: quibus haud ita multis an-
te annis: additæ fuerūt quas Bombardas vo-
camus: diabolicum plane inuentum: quarum
non modo ictus hominem prosternit atque e-
necat: sed sonus quoq; ipse adeo horrēdus est:
et terrificus: vt stuporem: hallucinationem:
omnium sensuum alienationem secum adduc-
cat: hominem denicq; ipsum / totum sibi sub-

trahat: et ſuimet pęnitus neſcium reddat. Qz ſi ne tigrides quidem huiuſcemodi in ſeſe pernitiem meditentur: nonne decet vt homines ratione prędíti / quauis virtute feras ſuperent beluas? Quis vnq̃ leonem cum leone dimicantem vidit? Quis ſerpentem ſerpenti infeſtum eſſe audiuit? Num ſæuit draco in draconem? Luporum ne concordia locum præbuit adagio? Quæ cum ita ſint non poſſum (vt mea fert ſententia) rectius loqui: q̃ ſi dicam Erynnyn aliquam / infauſto / infelicique partu bellum ędidiſſe: neque enim potuit abſque ope cuiuſpiam infernalis furiæ: tantus humanis animis pugnādi furor ingenerari. Quo fit: vt non poſſim illorum etymologiam non vehementer comprobare: qui bellum per antiphraſin a nulla re bella et bona dictum eſſe autumant. Vnde græcorum quoque prouerbium ad peſtem belli exprimendam accommodatiſſimum: per quā celebre eſt Solis inexpertis bellum eſſe dulce. Dicam itaq̃ paucis / bellum eſſe quaſi ingens quoddam pelagus / immenſumque malorum omnium oceanum / ad deperdēdum humanum genus plane

repertum. Contra vero pacem aceruum con=
geriemq; bonorum omnium: quas deus opti=
mus/maximus ad idem genus humanum cō=
seruandum benigne est largitus. Quum igi=
tur ex innumerabiliū frugiferę pacis commo=
dorum: et pernicioſiſſimi belli malorum infi=
nitorum collatione: liquido pateat vtrum al=
tri anteponendum ſit: neminem adeo cęcum
exiſtimo: vt nō videat ſimul et iudicet pacem:
mortalibus omnibus / diligendam/ amandā/
amplexandam / fouendam. Quæ ſi vnq̄ alias
neceſſaria fuit: certe hac nr̄a tempeſtate/ nihil
poteſt eſſe ęque neceſſarium: vt pote quum to
tus orbis chriſtianus ceu nauis in mari vento
agitata vacillet et fluctuet: et ingēs atq; inex=
plicabile reipublicæ Chriſtianę periculum ab
externo Chriſti nominis hoſte imineat. Cui
.n. eſt incognitum: quāto ſtudio/et vigilātia:
immaniſſimus Turcarum tyrānus ſuos fines
ampliare et propagare conatur: quanta idem
celeritate duos validiſſimos Sultanicos exer=
citus: pſligauit & attriuit: & quod mōſtroſum
dictu eſt: maximum Sultaui imperium quin=
gentis (vt fertur annis) florentiſſimum tribus

pene menſibus deleuit. Expergiſcimini igitur O principes chriſtiani: idem ſecundum apoſtolum ſapientes/eandem charitatem habentes/et id ipſum vnanimes ſentientes. Expergiſcimini inquam/et tãdem a profundo ſomno excitemini: turpiſſimumq; vobis futurum exiſtimate: ſi parietes vr̃os ardere ſinetis quũ incendium de longe propellere & arcere poſſitis. Prę ſertim quum a S. D. noſtro Chriſti in terris vicario: tot grauiſſimis litteris: tot piis monitis et precibus ad Turcicã expeditionẽ fuiſtis incitati: toties deniq; ab eodem prouocati: vt ſi non honorem et decus veſtrum: ſaltem Chriſti fidem protegendam ſuſciperetis: duriſſimum ſeruitutis iugum a ceruicibus veſtris excuteretis: pro liberis/pro focis/ ,p aris dei atq; omnium celitum fortiter dimicaretis. Sed qua via/qua ratione/quo conſilio vniuerſalis inter omnes principes chriſtianos pax: tam diu/et tot votis expetita cõponi poſſet: equidẽ plane ignoro niſi duos reges primi omnium id operis (ſicut faciunt) ſtrenue ſimul et fideliter aggrederẽtur. Te dico iuictiſſime rex Henrici quem tam raro ingenio tam alta ſa-

pientia / tam ſpectabili denicꝫ pietate / et di-
uinæ religionis cura dotauit omnipotens de-
us: et theſauro fidei ſuę ſeruando tam vigilan
tem pręfecit cuſtodem: vt contempta et ſpre-
ta omni gloria et rerum ampliatione: quas ſi
bellum continuare voluiſſes: comparaturus
nemini non videbaris: permotus ſanctiſſimi
D.N. crebris exhortationibus: omnem ani-
mum et mentem tuam ad vniuerſalem pacem
inter omnes principes chriſtianos ineundam
applicares. Quæ quidem candidiſſimi animi
tui ſanctitas idcirco longe eſt admirabilior: ꝙ
quum natura ipſa tibi creando intenta eſſet:
nihil aliud apud ſeſe cogitaſſe videtur: q̃ vt
ſummum Imperatorem ad bella tum pruden-
tiſſime ſuſcipienda: tum feliciſſime conficien-
da effingeret. Nã conſideratius intuenti ſpi-
rat bellum vniuerſa illa ſpecioſiſſimi corporis
tui pulcherrima facies / et incomparabilis om-
nium membrorum aptitudo et compactio: ꝓ
cerus enim / fortis / agilis / validus / et vſque
adeo robuſtus es: vt quoſuis ſiue ferio / ſiue
per iocum robur corporis oſtentare volentes:
longo interuallo a te relinquas. Opes autem

quæ nerui belli habentur: et bellicoſiſſimam gentem tibi ſubditam: non eſt opus vt cõmemorem: ſunt enim hæ vniuerſo orbi notiores q̃ vt a me de illis vel verbum fieri ſit neceſſe. Iam vero hijs addam: q̃ inſigniter et mirifice in bello proxime tibi ſuſcepto te geſſiſti: quũ i laboribus ſubeũdis demiſſa regia celſitudine: quemuis gregarium equares militem: in conſilijs pro re nata dandis: maximos / et rei bellicæ expertiſſimos duces / prudentia ſuperares: in ponendis commodiſſime caſtris / et exercitu fortiter inſtruendo: tãta vtereris ſolertia: vt et hoſtiũ exploratores / et relíq̃ omnes (quoꝝ immerus magnus fuit) qui ſpectãdarum virium tuarum gratia illuc ſe contulerant: illa inexpugnabilia / hunc vero inuincibilem vna voce faterentur omnes: et vbique locorum prędicarent / et diuulgarẽt. Sed ſpretis inquam et reiectis hiis omnibus ad bellum et gerendum et continuandum illectamentis remota omni concepta inimicitia: poſt habita omni ſimultate: omnibus odij cauſis (ſi quę fuerunt) profunda obliuione demerſis: ſtudioſus cõmunis omnium chriſtianorum quietis

eris tranquillitatis / et ſalutis omnes cogita=
tiones tuas in ſalutiferam pacem tranſtuliſti.
Qua in re currenti tibi calcaria (quod dici ſo=
let) addidit reuerendiſſimus dominus Cardi=
nalis Eboꝛ cuius fideliſſimum et ſaniſſimum
conſilium nunq̃ tibi ad aliquid preclare et lau
dabiliter agendum : defuit. Auxit vero hoc
ſanctiſſimum animi tui inſtitutum. Franciſ=
cus Francorū rex Chriſtianiſſimus quum et
ipſum quoq; eiuſdem pacis appetentiſſimum
eſſe (vt non tam nomine : q̃ re ipſa vere Chri=
ſtianiſſimum regem ſe oſtenderet) explora=
tum cognitumque haberes. Idque tam pura
et intemerata aggredi fide : vt miſſis huc ad te
magnificentiſſimis et prudentiſſimis orato=
ribus illuſtriſſimam dominam Mariam filiã
tuam vnicam : filio ſuo itidẽ vnico Galliarũ /
Principi excellentiſſimo nuptui dandam : pe=
tere non graueretur : quo huius integerimæ
pacis / et mutuæ defenſionis fœderis nodus :
nouæ et eius maximę affinitatis vinculo aſtri
ctus : indiſſolubilis penitus / et infrangibilis
reddítur. Porro vt nihil vnq̃ in mentem no=
bis veniret : ad hoc nobiliſſimũ matrimoniũ

interrumpendum ſpectãs: cõmuni noſtro cõ-
ſenſu actũ eſt: vt id eccleſiaſticis corroboretur
cenſuris: et in promiſſi violatorem tremenda
excommunicationis feratur ſententia. Regno
vero eius / et dominijs omnibus: aqua / igne
et omnibus Chriſtianis ſacris interdicatur:
eaq; dira deteſtatione prophana prorſus red
dantur. Deus optime/maxime quantum tibi
debemus nos omnes ſacræ religionis tuę ſe-
ctatores: qui tantum horum duorum maxi-
morum regum mentibus pietatis inſeruiſti:
vt diuinis veſtigijs tuis inſiſtentes: nihil ali-
ud animis reuoluãt: q̃ ſalutarem pacem: quã
tu ex hoc mundo recedens tanq̃ commune et
vniuerſale bonum omnibus te fideliter colen-
tibus reliquiſti. Sunt enim ſacratiſſimi reges
vires veſtrę tam magnæ et formidoloſę: opes
tam amplæ: conſilia tam ſana et grauia vt re-
liquos quoq; principes Chriſtianos omnes/
nullo negotio in veſtram ſententiam ſitis at-
tracturi: et totius Imperij Chriſtiani habe-
nas (vt libebit) haud dubie moderaturi. Sed
quid dico vos attracturos / quum iam nunc
eſſet inter S. D. N. ſacratiſſimam Cæſariam

maiestatem/et serenissimum regem Catholi=
cum vtrique vestrum charissimum affinem/
hoc idem fœdus ex vestro in religionem Chri
stianam pientissimo affectu/quantum in vo=
bis est: sit percussum: et reliquis præterea re=
gibus/principibusq;/et dynastis omnibus cõ
gruentissimus ad hanc pacem fœdusque pre=
stituta die acceptandũ/locus sit relictus. O
magnũ/et memorabile factũ vestrũ (nobilissi
mi reges) qui potẽtissimi/opulentissimi/belli=
cosissimi/et ætate florentissimi/represso per
rationẽ et cõsilium omni iuueníli spiritu: qui
finibus per gloriã proferendis maxima parte
intentus esse solet: arma deposuistis/et stri=
ctos atq; cruẽtatos enses in vaginas recõdidi=
stis: vt necessaria et salutifera pax: quæ iã diu
in exiliũ eiecta miserrime egit: in ditionem su=
am. i. in orbẽ Christianum: vobis autoribus
felicissime restitueretur. Sed si te in hoc loco
amplissime pater Cardinalis Eborẽ et Aplicę
lateralis legate silẽtio prætermitterem: error
longe maximꝰ a me ꝓcul dubio cõmitteretur.
tu enĩ in hoc sãcto negotio: tãto ingenij acu=
mine: tãta prudentia et dexteritate vsus es: vt

vterque rex tibi soli ad omnem rem conficiendam amplissimam concederet auctoritatem. Quod effecisti reuerendissime pater/tollet in cælum laudibus omnis posteritas. Eadem pari modo demirabitur talem virum Angliam produxisse: cui nō modo suus: sed externi quoq; reges sua negotia committenda censerent. O diem hunc felicem/et (cretensium more) albo calculo notandum: quo (vt Dauid ore pronunciauit prophetico.) Orietur habūdantia pacis/et eius (vt apparet) firmæ et duraturæ/quia vniuersalis. O duos felicissimos reges: qui tribus maximę rebus hodierno die auspicatissimum principium daturi estis fœderi/fidei/et paci. Fœderi vt sancte ineatur. Fidei vt syncera sit et inuiolabilis. Paci: vt sit perpetua. Videlicet non modo omni bello remoto: sed omnis quoq; belli suspitione penitus sublata. Faxit igitur immortalis deus: vt gaudium de hac saluberima pace hodie i hac sacra ęde composita et inita conceptum: Christianis omnibus solidū sit et perpetuum: cuius inestimabilis boni: firmissimam mihi præbent spem sacrosancta iuraiuranda: quibus

hoc ſanctiſſimum fœdus eſt firmatum: quæ: qui violare non horrebit: is corpus vna cum anima / in profundos inferos: et gehennam ignis detruſurus eſt. Reſpicite ergo o princi= pes huius religioſiſſimi fœderis / amicitiæ et pacis autores ad fidem datã et acceptã: et vo= biſmet ipſis perſuadete: nihil a magnis prin= cipibus alienius eſſe poſſe: quam fidem vio= lare. Ad extremũ vero: apud animos veſtros cogitate: quales: quamque venerabiles teſtes preſentes habeatis omnium rerum: quas tra= ctaſtis et concluſiſtis. Nam (vt omittam inu= meroſiſſimũ populi concurſum) adſunt max= imorum regum / principumq; prudentiſſimi oratores. adſunt duo ampliſſimi et reuerẽdiſ= ſimi patres Apoſtolicę ſedis delatere Legati. Adeſt hęc diui Pauli ſacratiſſima ędes. Adeſt denique deus ipſe / huius celebratiſſimi tem= pli cuſtos: cuius diuinam maieſtatem atque omne cæleſte numen / omnibus precibus ſup plex: oro / obſecro / et obteſtor: vt quicquid hodierno die: pia mente hic peregiſtis: id totũ ſecũdent / ꝓſperent / fauſtumq; et felix reddãt.

Finis.

IMPRESSA Londini. Anno Verbi incarnati. M. D. xviij. Nonis Decembris per Richardum Pynson regium impressorem cū priuilegio a rege indulto/ne quis hanc orationem intra biennium in regno Angliæ imprimat: aut alibi impressam/et importatam in eodem regno Angliæ vendat.

23 JY 68

BRITISH
23 JY 68
MUSEUM